

ratus necessitas tollitur, dummodo alia requisita in eligendo concurrant.

(101. Vicariis capitularibus per regnum Neapolitanum, et vicariis generalibus ægotantium prælatorum ejusdem regni quæ cura circa spolia sit commissa et demandata? Vide supra verb. SPOLIA.

(102. Vicariis capitularibus in regno Neapolitano prohibetur concessio litterarum dimissorialium pro prima clericali tonsura, aliisque ordinibus, etiamsi annus a die vacationis Ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate sac. congregationis. Clemens XI, part. III Bull., epist. 2 et 3. Sac. cong. Episcop. et Regul.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(103. Num capitulum eligendo vicarium capitularem possit aliqua reservare a se ipso exercenda? Affirmant Pirrhing ad tit. De offic. vicar., n. 78; Pignatell., Consult. canon., tom. IX, consult. 59, n. 4; Ventrigl., in Prax. for. eccles., tom. II, adnot. 15, § 2, n. 18; Ragucc., De voc. canon., q. 40, n. 14.

(104. Tradunt vero auctores hujus affirmativæ sententiæ, quod si reservatio concernat ea quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, minime repugnat ut ipsa exercentur ab ipso capitulo; contra vero si reservata sint illa, quæ spectant ad jurisdictionem contentiosam, debeant hæc a capitulo alteri delegari.

(105. Negativam vero sententiam tenent Fagnan., in cap. His quæ, num. 72, De majorit. et obed.; Leuren., De vicar., tract. 3; cap. 5, q. 565, num. 2.

(106. Quod si capitulum naud potest ali-

VICARIUS FORANEUS.

Lubet sequentia adnotare.

(1. Vicarius foraneus dicitur ille, qui in certa parte diœcesis extra civitatem Sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quamdam exercent; cap. Romana 1, De officio ordinarii in 6, et ibi Glossa verb. Foraneus; et alia Glossa in Clement. Et si principalis 2, De rescriptis, verb. Foraneo. (2. Et dicitur Foraneus, quia foris, seu extra locum in quo Sedes episcopalis reperitur, episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem. Glossa, in cit. cap. Romana 1, De officio ordinarii in 6, verb. Foraneus; et alia Glossa, in cit. Clement. Et si principalis 2, De rescriptis in casu, verb. Nota.

(3. Episcopus tenetur vicarios foraneos in diœcesi constituere, concil. Mediolan. 1, part. II, tit. De vicariis foraneis, sac. cong. Episcop., in Trojana 27 Martii 1590, et 10 Martii 1567. (4. Et ad hoc munus vicarii foranei eligi et constitui debent archipresbyteri et prapositiones locorum, vel alii in dignitate ecclesiastica constituti; sin minus eligi debent rectores ecclesiarum parochia-

qua sibi reservare, vicarium capitularem eligendo, multo minus potest quidquam ad se avocare postquam jam vicarium capitularem elegit. Leuren., ubi supra, q. 567, n. 2.

(107. Ex his etiam patet vera resolutio ad quæstionem, de qua agit auctor n. 40, an scilicet possit vicarius capitularis vigore suæ electionis exercere ea quæ speciale mandatum episcopi requirent respectu vicarii generalis. (108. Si enim capitulum nil sibi potest reservare eligendo vicarium capitularem, non est quod vicarius capitularis opus habeat ullo speciali mandato, sed ut primum electus est, potest ea etiam exercere, quæ vicarius generalis non nisi speciali mandato exercere valet; Leuren., loco citato, q. 568, n. 2, ubi rationem differentiæ tradit.

RESPONSIO AUCTORIS.

(109. Circa ea quæ hic astruuntur, præsertim sub n. 108, videantur quæso, quæ ego adduxi in hoc art. sub c. n. 40, ubi post adductas duas opiniones contrarias cum suis respective rationibus; an possit vicarius capitularis vigore suæ electionis exercere ea quæ speciale mandatum episcopi requirent respectu vicarii generalis, conclusi ibi in hoc servandum esse praxim et legitimam consuetudinem cujusque diœcesis ac provinciæ; cum consuetudo sit optima legum interpretis; l. Si de interpretatione 58, ff. De legibus; et cap. Cum dilectus 8, De consuetudine, addendo, videndum esse verb. JURISDICTIO, n. 18, ubi conclusi, jurisdictionem vicarii capitularis esse ordinariam; sicque etiam conclusi in verb. VICARIUS GENERALIS, art. 4, n. 6.

lium diœcesis, quantum possibile erit. Concil. Mediolan. 1, loco citato.

(5. Vicarii foranei amoveri possunt arbitrio episcopi, quotiescunque voluerit, et puniri possunt, si male se gesserint in officio sibi demandato. Conc. Mediolan. 1, loc. cit.

(6. Jurisdictio vicariorum foraneorum est omnino limitata, cum concedatur solum pro certa parte diœcesis, et limitatis locis, ac solum pro certis et limitatis causis civilibus ibidem occurrentibus usque ad certam et limitatam summam, v. g. quinque scutorum plus minusve, prout libuerit, ne partes pro qualibet levi re cogantur semper se conferre ad civitatem, et comparere eorum vicario generali. Sac. cong. Episc., in Trojanen. 27 Martii 1590.

(7. In criminalibus autem non possunt ordinarie se intromittere, nisi informationes capiendo et formando processum informativum ad effectum illum transmittendi ad vicarium generalem cum relatione totius

facti. Sac. cong. Episcop., in Motulensi 9 Junii 1592.

(8. Potest tamen ab episcopo eis concedi, ut se intromittant in omnes causas cleri alicujus oppidi, seu sui limitati vicariatus, tam civiles quam criminales et mistas, exceptis iis pro quibus pœna corporis afflictiva est imponenda. Sac. cong. Episcop., in Tarentina pro oppido Martine 7 Julii 1567.

(9. Ad vicarium foraneum et non ad archipresbyterum, sive curatum, nisi ipso vicario absente, spectat dare licentiam laborandi die festo, et contravenientes multare. Sac. cong. Episcop. in Cerentina 2 Augusti 1594, et in Materan. 18 Nov. 1597. (10. Et talis licentia in scriptis concedi debet, et non oretenus. Ead. sac. cong. 21 Augusti 1615.

(11. Pœna pro transgressione festorum debet esse moderata; et si fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium ordinarii, et reliquum, si fuerit exactum, restitui. Sac. cong. Episcop., in Ravennatensi 16 Januarii 1601, in Bellicastrensi 1 Septembr. 1603, et in Cornetana 11 Decemb. 1624.

(12. Neque debet excedere 5 vel 6 Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte exsecutoribus, licet quis deprehensus fuerit in fragranti post publicatum edictum. Sac. cong. Episc. in Terracinensi 14 Dec. 1595.

(13. Et tertiam partem pœnæ seu multæ, quæ a violatoribus festorum exigitur, debent vicariis foraneis, tenet Pellegrinus part. I, sect. 7, De vicario foraneo, subsection. unica, n. 6, dicens quod ubique servatur, quod pœnæ prædictæ applicentur vicariis foraneis, et eorum exsecutoribus, et quod sic censuit sac. cong. Episcop., in Theanen. 5 Februar. 1591. At hodie attendenda est taxa Innocentiana, § Le pene, e multe, ubi statuitur quod applicentur usui locorum piorum.

(14. Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet præcedentiam in choro, sessionibus et processionibus, et aliis actibus, et functionibus ecclesiasticis supra alios parochos, canonicos et presbyteros ipso antiquiores et digniores, sed debet ipse vicarius stare, sedere et incedere in loco suæ receptionis et dignitatis, ac si non esset vicarius foraneus, tam cum cotta quam sine illa, non obstante quacunque ordinatione episcopi in contrarium, præterquam in congregationibus, quæ de mandato episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tanquam episcopi delegatus præcedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa, et aliis quæ fiunt ante congregationem. Sac. cong. Rit., in Brundusina 17 Novembris 1600, in Oritana et Catan. ead. die et anno; in Marsicen., Spoletana, et Bononien. 11 Aprilis 1601, in Regien. 2 Martii 1602, in Tropien. 25 Januarii 1603, in Neocastren. 12 Aprilis 1607, in Comen. Valevatiæ 19 Martii 1611, in Nucerna 24 Junii 1611, in Syracusana 7 Julii 1612, in Hydruntina Soleti 2 Martii 1613, in Mediolanen. Cerbetta 3 Dec. 1616, in Campana terra

Auletta 12 Martii 1618, in Messanen. Terræ Castri 7 Sept. 1618, in Spoletana Terræ Casciæ 23 Martii 1619, in Salernitana 27 Martii 1638, in Neritonen. 22 Dec. 1629, et in Tranen. 9 Apr. 1633, et sæpissime alibi. (15. Etiam quacunque consuetudine contraria non obstante. Ead. sac. Rit. cong. in Syracusana 3 Junii 1630.

(16. Vicarius foraneus debet in processionibus et choro uti cotta, sicut alii presbyteri, nec ratione sui officii debet ante alios habere thuris et pacis honorem. Eadem sacra cong. Rit., in Tranen. 24 Sept. 1605.

(17. Vicarii foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint, vel in alio non multum distante. Sac. cong., in Trojanen. 12 Dec. 1646. Locus autem debet esse equidem numerosus.

(18. Vicariis foraneis non licet multare clericos vel presbyteros, qui non veniunt ad Horas canonicas ultra solitum punctum amissionis distributionum quotidianarum. Sacra cong. Rit., in Brundusina 4 Martii 1606.

(19. Neque possunt vicarii foranei contra usum et consuetudinem Ecclesiæ prohibere canonicis, ne capitulum faciant sine sua licentia. Sacra cong. Rit., in Orien. Calie 16 Dec. 1605, et ead. sacra cong. 16 Dec. 1616.

(20. Vicarius foraneus, si sit canonicus, non debet habere majorem portionem ex funeralibus, quam si esset simplex canonicus. Sac. cong. Rit., in Bononien. Castri Joannis 7 Octob. 1617.

(21. Vicarii foranei, vel alii rectores non tenentur quidquam solvere, aut dare cursoribus, aut aliis episcopi ministris per diœcesim discurrentibus, sed tantum ministrare debent cubile, et lumen, et si victum eis præbeant, ab episcopo repetere possunt. Sac. cong. episcoporum in Licien. 5 Feb. 1501, et in Balneoregien. 6 Augusti 1602.

(22. Episcopus in sua diœcesi concedere debet facultatem etiam vicariis foraneis et archipresbyteris, ut de consilio medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetulis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat. Sac. cong. episcoporum 20 Augusti 1691.

(23. Non debet episcopus prohibere parochi, ne celebret officium mortuorum sine interventu vicarii foranei. Sac. cong. episcoporum, in Cremen. 10 Junii 1603.

(24. Attenta dispositione Tridentini, cap. 3, sess. xxv De reform., non potest episcopus delegare facultatem vicariis foraneis, sed tantum vicariis generalibus, concedendi litteras monitoriales pro rebus deperditis seu subtractis. Sac. cong. Cone. 24 Junii 1653. Et antea eadem sac. cong. 8 Februarii 1590, declaravit, non licere episcopo hanc facultatem alteri quam vicario generali delegare, neque specialiter, apud Pascaz., tit. De vicario, et Pittonum Constitut., ad episcopos, n. 1206.

(25. Episcopus præter vicarium foraneum

non debet retinere in locis diœcesis alios patentatos. Sacra cong. episcoporum in *Ferentina* 4 Aug. 1690, apud Monacell. part. 1, tit. 1, formul. 6, n. 2.

(26. Vicariis foraneis obedire debent omnes curati et alii clerici, cujuscunque dignitatis sunt, alias per episcopum puniri possunt. Conc. *Mediolanens.* 1, part. II, tit. *De vicariis foraneis.*

(27. Vicarii foranei habent facultatem in unum congregandi semel in mense presbyteros suæ regionis, seu loci, ut conferant inter se super difficultatibus parochiarum et curis animarum. Concil. *Mediolanens.*, loc. cit.

(28. Eorum officium est inquirere de vita et moribus clericorum, an parochi et presbyteri sui vicariatus habeant libros quos habere debent, an observent decreta synodalia, an eorum incuria divinus cultus aliquid detrimenti patitur? et de his omnibus ad episcopum relationem facere. Conc. *Mediolanens.*, loc. cit.

(29. Tenentur significare episcopo curatos non residentes in sua regione. Conc. *Mediolan.* 1, part. II, tit. *De residentia.*

(30. Vicarius foraneus dependet a vicario generali, nisi specialiter ab episcopo justa de causa aliquando ab ejus jurisdictione eximat. *Communis.*

(31. Non permittat episcopus vicarium foraneum retinere non nisi unum notarium. Sacra congreg. Immunitatis in *Spoletana* 16 Aprilis 1652, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 181.

(32. Vicarii foranei non habent facultatem extrahendi confugitos. Sac. cong. Immunitatis, in *Spoletana* 29 Maii 1629, lib. I *Decr.* Paul., p. 139.

(33. Quare quoad extractionem sacerdotis et clerici factam a vicario foraneo, sacra congregatio injungit episcopo reintegrari Ecclesiam, et dictus vicarius consulat conscientiam suæ. Sac. cong. Immunitatis, in *Theanen.* 19 Februarii 1704, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 558.

(34. Vicarius foraneus ob datam licentiam extrahendi cadaver ab ecclesia pro facienda recognitione corporis delicti, contrahit excommunicationem. Sac. cong. Immunitatis, in *Urbevetana* 21 Augusti 1695, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 213.

(35. Idem contrahit irregularitatem, et pro dispensatione remittitur ad sacram congregationem concilii. Sac. cong. Immunitatis, *ibidem.*

(36. Aliquando tamen conceditur eidem facultas extrahendi a locis immunibus ad sex menses, et pro arbitrio episcopi, ita tamen ut extracti ducantur ad carceres curiæ ecclesiasticæ. Sac. cong. Immunitatis in

*Camerinen.* 19 Nov. 1630, lib. II *Decr.* Paul., pag. 64.

(37. Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte diœcesis extra civitatem Sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quamdam exercent; cap. *Romana* 1, De offic. ordinarii in 6. (38. Et ab ipsis appellari potest ad episcopum: Bened. XIV, *De syn. d.*, lib. III, cap. 3, n. 5. (39. Antiquissimi sunt, et origo eorum ad chorepiscopos est referenda. Idem, *ibidem*, n. 6. (40. Chorepiscopis enim suffecti sunt archipresbyteri, archidiaconi et decani rurales. Idem, *ibid.*, n. 7. Vide *De chorepiscopis* tom. III, verb. *Episcopus*, art. 1, n. 36, ad 41, (41. ubi qui ipsi fuerint, quod eorum officium, et quare ab Ecclesia sublatis. (42. Vicarii foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borromæum esse ceperunt, ut in aliis locis. Idem, *ibidem*, n. 8, contra aliquos aliter sentientes: sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. Idem, *ibidem*, n. 9. (43. Si parochi sint, synodo diœcesanæ intervenire debent. (44. Si non sint, tenentur, si episcopus eos vocet, idque expediat, quoniam ab istis tanquam oculatis testibus melius quam a vicario generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diœcesis partibus occurrunt, et aliquam fortasse sanctionem exposcunt. Idem, *ibidem*, n. 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. A vicario foraneo distingui debet is, qui extra urbem cum aliqua delegatione universitatis causarum ab episcopo constituitur. (46. Ille enim nec in personatu, nec in dignitate constitutus censetur, nec præcedentiam ratione officii supra alios presbyteros obtinet; *Monacell.* in *Formul. legal. practic.*, part. I, tit. 1, n. 2 et sequent.; *Schmier.*, *Jurispr. canon. civil.*, lib. I, tract. 3, cap. 5, sect. 4, in *Supplement.*, q. 1, n. 3, ubi quod solet deputari pro levibus duntaxat, et modicis causis.

(47. Hic vero majorem dicitur habere prærogativam et jurisdictionem. Quinimo si deputatus sit ad universitatem causarum, perinde ac ille qui residet in urbe, dici poterit vicarius generalis, et sic in dignitate constitutus, capaxque delegationis Apostolicæ; et id, quia vicarium generalem non facit qualitas loci, sed generalitas causarum; *Sbroz De vicar. episcop.*, lib. I, q. 20, n. 11; *Schmier.*, loco mox citato, ubi quod: « Si rescriptum aliquod pontificium ad vicarium generalem dirigatur in materia gratiosa, erit in arbitrio impetrantis cuiam illud præsentare velit, poteritque electus ab impetrante vicarius ad executionem privative procedere. »

qui constitutus est ab episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco in quo ipse sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6; *Barbosa*, *De offic. et potest. epi-*

VICARIUS GENERALIS EPISCOPI.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus esse, constitutionem et jurisdictionem

Hæc porro ad rem notanda.

(1. Vicarii generalis nomine intelligitur ille,

scop., part. III, allegat. 54, n. 127, cum plurimis ibi citatis; *Reiffenstuel*, lib. I *Decret.*, tit. 28, n. 16, et alii plures. Vide infra n. 9.

(2. Vicarius generalis episcopi in jure appellatur etiam officialis, cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6, ibi: « Officialis, aut vicarius generalis episcopi, » et concordat cap. *Cum nullus* 3, De temporibus ordinat. in 6, ubi ille ipse, qui antea dicebatur *officialis episcopi*, paucis interjectis lineis vocatur ipse in spiritualibus *vicarius generalis.*

(3. Episcopus potest constituere vicarium generalem absque consensu vel consilio capituli. *Communis.* Sic approbante praxi et consuetudine universali, quæ in talibus est servanda. Cap. *Ea noscitur* 6, De his, quæ fiunt à prælatis sine consensu capituli.

(4. Imo episcopus non tantum potest, sed etiam ordinarie tenetur vicarium generalem constituere. Abbas, in cap. *Quoniam* 14, n. 3, De officio ordinarii; *Reiffenstuel*, lib. I *Decretal.*, tit. 28, n. 65; *Bald.*, in l. *Aliquando* n. 1, in quarta oppositione, ff. *De offic. procons.*; *Lancellot.*, *Instit. canon.* lib. 1, tit. *De offic. vicar.* in Glossa, verb. *Non potest*; *Covarruv.*, lib. III *Variar. resolut.*, cap. 20, n. 4, et plures alii, quos allegat *Barbosa*, *De offic. et potest. episcoporum*, part. III, allegat. 54, n. 125, et *Pellegrin.*, part. I, sect. 2, *De vicario generali episcop.*, subsect. 5, n. 1, per text. in cap. *Volumus* 2, et cap. *Quia in quibusdam* 4, dist. 89, cap. *In nova* 16, qu. 1, cap. *Quoniam* 14, cap. *Inter cætera* 15, De officio iudicis ordinarii.

(5. Dicitur autem notanter ordinarie, quia si episcopus velit causas per se tractare, sitque peritus jurista, et per se sufficiens ad eas se solo expediendas, præsertim si episcopatus non sit amplius, cogi non potest ad constituendum vicarium generalem, ut pluries tenuit Rota; et signanter in *Calaguriana Fructum* 18 Martii, coram *Cavalerio*, in *Valven.* et *Sulmonen.* *Præminentiarum* 18 Julii 1649, coram *Emerix decano*, et in eadem *Valven. coram Emerix* 11 Martii 1695, et quod episcopus non possit coarctari ad retinendum vicarium, expresse declaravit sac. cong. Concilii 11 Feb. 1696, approbando dictum votum Rotæ editum 18 Junii 1694, et 11 Martii 1695, coram dicto *Emerix in Valven. Præminentiarum* apud *Monacell.* part. I, tit. 1, formul. 1, n. 6, et apud *Pitton.*, *Constitut. ad episcopos* n. 1954, et tenent doctores plurimi allegati a *Barbosa*, l. c., n. 125, a *Pellegrino*, l. c., n. 5; *Reiffenstuel*, l. c., n. 66, alique passim.

(6. Secus vero foret, si episcopus non esset peritus jurista, vel ob vastitatem episcopatus, et ingentem causarum molem, aut ob aliam causam non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda, quia tunc, ut dicit ipsamet ratio naturalis, tenetur episcopus vicarium generalem constituere, ut sæpe sacra congregatio diversis temporibus præcipere consuevit, alioquin mittitur illi ab Urbe, vel aliunde, vicarius pro tali officio exercendo, vel cum Brevis Apostolico, vel

cum litteris sacre congregationis, vel cum Patente episcopi, quia fuit ad hoc compulsus, ut referunt *Nicolius*, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis* sub n. 39; *Pellegrin. l. c.*, n. 8 et alii.

(7. Qui insuper notant, quod talis vicarius missus ab Urbe supradictis modis, est vere vicarius apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum remove potest. Sac. cong. Episcoporum, in *una Civitatis Castellane* 2 Aprilis 1392, in *Mediolanen.* 8 Februarii 1594, in *Savonen.* 17 Sept. 1605, in *Bisninen.* 18 Martii 1632, in *Motulen.* 5 Augusti 1636.

(8. Episcopus potest etiam binos vicarios generales æque principales, seu in solidum constituere, maxime si diœcesis sit multum ampla, ut sic expeditioni causarum facilius consulatur, cum facilius expediantur causæ per plures, quam per unum, cap. *Quoniam*, De officio ordinarii, cap. *Ad hæc*, De officio archidiaconi, cap. 1, *De celebratione missarum*, *Clementin.* Et si principalis, et ibi Glossa, verb. *Principalis*, ac cardinalis, et *Imola De rescriptis*, cap. *Prudentiam*; ubi Abbas n. 10, *De officio delegati*; *Ugolin.*, *De offic. et potest. episcop.* cap. 4, § 6, n. 4. *Barbosa*, cit. allegat. 54, n. 126; *Rebuffus*, in *Prax. benefic.*, titul. *Forma vicariatus*, n. 203; *Zerola in Prax. episcop.*, part. I, verb. *Vicarius*, n. 1; *Sbroz.*, lib. I, q. 50, n. 4; *Reiffenstuel*, l. c., n. 67; *Pellegrin.*, l. c., n. 10 et alii, notantes tamen, quod eos constituere debet in eodem loco, ubi sedem habet; (9. nam generalis vicarius dicitur ille, qui constitutus est ab episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipse sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6; *Bartolus*, in l. 1, in fine, ff. *Qui et a quo appelletur*; *Maranta*, *De ordine jud.*, part. I, disput. 5, n. 8; *Sbroz.*, lib. I, q. 28, n. 7 et q. 69, n. 2; *Pellegrin.*, loc. cit., n. 11; *Reiffenstuel*, l. c., n. 16; *Barbosa*, cit. alleg. 54, n. 127, cum pluribus ibi allegatis.

(10. Ampliatur prædicta conclusio, ut possit episcopus plures habere vicarios generales, si ita servetur de consuetudine. Sac. cong. in *Lancianen.* 24 Martii 1599, et 21 Februarii 1614, apud *Quaranta*, verb. *Capitulum sede vacante*; *Nicol.*, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis*, n. 40, et *Pellegrinum*, l. c., n. 12.

(11. Et a fortiori si habeat plures civitates seu diœceses unitas; nam tunc debet in unaquaque tenere suum vicarium generalem. Sac. cong. Episcoporum, in *Sutrina* 7 Junii 1594, apud *Nicolium*, loc. cit., sub n. 40; *Pellegrinum*, l. c., n. 13; *Pitton.*, *Constitut. ad episcopos* n. 1619, quamvis ipse fortasse inadvertenter ex *Pascue*. referat dictum decretum de anno 1694, 7 Jun.

(12. Et præsertim si dictæ Ecclesiæ seu diœceses unitæ inter se multum distent, quia si una ab altera notabiliter distet, debet episcopus vicarium generalem in diœcesi, in